

1)
 2)
 3)
 4)
 5)
 6)
 g



DISSERTATIO THEOLOGICA,

Super Oraculo Jacobæo Genes. XLIX. II.

CVIVS VERBA:

Lavabit in vino sto-lam suam, & in sanguine uvæ
pallium suum,*Germanice:***Er wird sein Kleid in Wein waschen, und
seinen Mantel in Weinbeer-Blut.**

QVAM

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,

ET

CONSENTIENTE VENER. FACULTATE,

SVB PRÆSIDIO

BERNHARDI von Sanden/

S. S. THEOL. D. ET P. P. NEC NON PAST.

ECCLES. PALÆOPOL. ET CONSIST. SAMB.

ASSESSOR.

PVBLCICE DISCVTIENDAM PRÖPONET

CHRISTOPH. WILH. QVANDT,

Eccles. Steinbeck & Neuendorff Adj. Past.

A. M. DC. LXXX. Ad d. April, Horis consuetis,

IN AVDITORIO MAIORI,

EDITIO III.

JENÆ,

APVD IOHANNEM BERNHARDVM HELLERV. 1717.

DISSERTATIO THEOLOGICA

de Sacramentis Eucharistiae

AVCTORE

LAVARDI in vino fo-

ludicium & in fustigium usq;

ballum totum

dominus

Et non sicut in seipso profertur

sed sicut in seipso dicitur

DEAN

ARTICULUS DIVINAE GRATIAE

CONSTITUTIO DE SACRAMENTIS

DE SACRAMENTIS

BERNHARDI von Gunden

S. THEOL. D. P. P. M. C. NON PAST

EDITIONE TERTIA

1711

PROFESSORIS THEOLOGICAE

CHRISTOPH. WILH. QVANDT

in Gunden & Gunden ad Rur

in Gunden & Gunden ad Rur

IN GUNDEN & GUNDEN AD RUR

EDITIO III

1711

ARDJONANNEM BERNHARDI HELFERM. VII





§. I.

Passionem Servatoris nostri, JESU CHRI-
 STI, cujus memoriam his diebus gratâ mente
 recolit Ecclesia, animus est & hâc dissertatione,
 Academicò more, in aliquò V.T. oraculò, nem-
 pe Gen. XLIX. II. lustrare & expendere. Indiget verò dili-
 genti scrutiniò & dispositione. Nuda verba, quæ Patriar-
 cha Jacob, morti vicinus, effatus est, juxta veritatem Hebrai-
 cam ita habent: **לָוִיתִי בְּיַיִן וּבְרֵגְלֵי עֵבְרִים סֹרְתִי**: *Lavit in*
vinò vestimentum suum, & in sanguine uvarum pallium suum.
סָבַרְתִּי בְּקֶרֶר & רֶבֶר, sicut etiam **קָבַר** in eâ-
 dem formâ sæpè inveniuntur. Ponitur autem præterit, *lavit*
 pro futuro *lavabit*, juxta usitatum prophetiæ stylum, ad
 certissimum significandum eventum. In **לָבַשׁ** Kybbutz al-
 ternat pro Schurek, cujusmodi plura exempla obvia sunt.
 Ultima vox **סֹרְתִי**, quæ semel tantum, & h. l. reperitur in Bi-
 bliis, affixum ÿ cum **תִּי** permutavit, cujus generis paradig-
 mata etiam non pauca Grammaticis notata sunt. In distin-
 cta *vinì & sanguinis uvarum* mentione *ταυτολογία* s. *συναυμυσία*
 est. Nam & apud profanos scriptores vinum per sanguinem
 uvarum circumscribitur. Ita *Plin. XIV. 5. memento, te bibere*
sanguinem terræ; &c: *Cassiod. Lib. 12. — uvarum frigi-*
dus sanguis. Euseb. ad vocem μιλτοπύρα Iliad. β. *Sangvi-*
nem autem uve vocarunt vinum. Hesiod. Bucol. — βοτρυόων
δέσσω αίματόσντι, i. e. uvarum, bene calcatarum, sanguineo ro-

A

re.

re. Samuel Bochartus in *Geograph. sac. part. poster.* L. l. c. 18. fabulam de Baccho memorat, quod pastori cuidam Tyrio, a quo laute acceptus fuerat, vinum propinaverit, cumq; eo hausto pastor rogasset: *πότεν ἔτως εἶδες αἷμα γιλονύ;* Unde tam dulcem sanguinem reperisti; Respondisse Bacchum: *τὸ ἐστὶν αἷμα βοσγύων,* hic est uvarum sanguis. In specie autem vinum rubri coloris, quale terra Canaan a Jacobo quondam inhabitata tulit, nostro loco exprimitur, sicut & Deut. XXXII. 14. Syrac. L. 17. 1. Macc. VI. 34. apprime huc conveniunt. Distincta *vestis & pallii* appellatione sine dubio Jacob ad duplex vestimenti genus, apud Hebræos usitatum, respicit, quorum prius interius fuit, & arctius corpori adhaerens, alterum exterius & remotius a corpore. *Lavare* vestem quid significet, cuius patet. Utitur igitur Jacob, si propriam verborum notationem spectes, eiusmodi sermone, qui a fructibus vitis, dulcique vino desumptus est.

II. Unde sunt, qui hæc verba *κατὰ τὸ πρῶτον & αἰετῶς* ad Judam, Jacobi Filium, referunt, & de corporali ejus benedictione interpretantur, *δευτέρως* autem & per applicationem mysticam de Christo, ejusque passione exponi posse concedunt. Etenim speciosa, quam afferunt, vaticinii de Juda distributio est, in 4. partes, quarum *prima honorem & laudem*, quod ipsum ceteri fratres laudaturi & adoraturi essent; *alter fortitudinem*, quod, ut leo, hostes suos debellaturus esset; *3tia principatum & imperium, durationemque ejus ad Messia adventum*; *4ta incredibilem bonorum temporarium abundantiam*, maxime vini & lactis, ei & orituræ tribui promittat. Tum hanc ultimam partem inchoant a v. II. ut illi noster textus includatur. Unde *Idem* sic interpretantur. *Lavabit in vino stolam suam, &c. id est, tanta erit ei vini abundantia, ut non modò ad potum suffi-*

sufficiat verum etiam ad lotionem vestium, si hunc volet usum facere. Locutionem ajunt esse hyperbolicam. Hac sententia originem debere videtur Chaldaica Onkelosi versioni. Cum enim proxime antecedentem 10. versum ita reddidisset: Non auferetur habens principatum à domo Juda, neque scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi; satis aperte redit ad corporalem benedictionem, eamque continuat, dum & nomen Israëlis reassumit, ne de Messia, cujus appellatio intercesserat, contextus accipiatur. Notandum autem, quod demum verba, textum nostrum sequentia, Rubicundus oculis pre vino, de montibus vitiferis & vini copia explicet, in his nostris autem ad aliam metaphoram, purpuram & sericum quærens, confugiat. Avrodezi ita habet: Purpura optima erit vestimentum illius, operimentum ejus erit sericum tinctum coccino, variisque coloribus. Montes ejus rubicundiores erunt in vineis suis, destillabunt colles ejus vinum, dealbabuntur campi ejus frumento & gregibus ovium. Chaldaicum interpretem Lyranus secutus est in expositione de temporali Judæ & posteritatis illius felicitate, sed in hoc differt, quod vino contentus sit, & id solum, etiam ex nostro dicto, commemorat. Lavabit in vino stolam suam. Exponunt de Christi passione, sed ista expositio salvi meliore judicio viderur mihi magis mystica, quam literalis, & non aliter potest dici, quam postquam Jacob prædixerat dignitatem regiam, futuram in tribu Juda, cepit prædicere conditionem terra, quam in sortem debebat accipere, quæ fuit valde fertilis in vino & lacte. Et hoc est, quod dicitur: Ligans ad vincam pullum suum, & ad vitem asinam suam; per hoc designans, quod in uno stipite vitis possit de uvis onerari una asina vel pullus. Et idem significat, quod subdi-

tur: Lavabit in vino stolam suam. Ac si dicatur: Tantiæ abundantia vini erit ibi, quod possent inde lavare pannos. Et est locutio hyperbolica: sicut etiam apud nos dicitur ad designandam magnam abundantiam vini tantopere fertilitatis, quod satis est de vino ad lotionem pedum. A Lyrano postmodum multi alii, imprimis Reformati, sumperunt sententiam. Vid. Zwingl, in Farrag. Gen. in b. l. Vatabl. & Jun. in Bibl. suis. Pareus b. l. in Comment. Rivet. Exercit. 180. Ravanell, in Bibliorb. S. tribus locis, sub themate Lavare, num. 2. distinct. 3. sub Vinum num. 2. & sub Vestis num. 9. dist. 3. Quo ultimo loco autem observari meretur, quod paulo deflectat hic auctor à superioribus in excusatione & ratione phraseos. Nam non intelligit hyperbolen integre vestis in vinum immersionis & lotionis, sed locutionem arbitratur desumptam esse a vestium orientalium longitudine, tantamque vini fertilitatem intelligit futuram, ut incedentium vestes narent quasi in vino, sive extremitates earum vini largissimo proventu imbuantur. Verba ipsa adscribam: *Vestibus, inquit, praelongis utebantur Orientales. Hinc eos necesse erat accingere lumbos, s. præcingere se, cum opus aliquod essent aggressuri. Hinc etiam est Phrasis ista, lavare vestimenta sua in vino, quæ de eo dicitur, qui incolit regionem vini feracissimam, Gen. XLIX. II.*

III. Equidem, si dicendum, quod res est, nihil impii, aut contrarium religioni fovet, sed potius ornata apparet illa sententia de ubertate vini in terrâ Judæ. Nam in ea erat Hebron & (non procul ab ea) ager Damascenus, quem nonnulli pro paradiso terrestri acceperunt; convalis Mambre; mons Carmeli, feracissimus & fructuum & vini, teste Hieron. & Brocardo. Tantum tamen abest,

ut

ut oraculo huic Jacobæo satisfaciatur, & ultimum, uti quidem intendebat, ejus sensum attingat; ut potius altiora, ipsiusque Christi regnum hic virtute propria, non per applicationem demum, reconditum esse, manifestum fieri possit illi, qui paulo præsentius mentem advertit. Jacobus, Sp. S. plenus, in anteced. v. de Regis Christi adventu vaticinatus erat, quod unanimes fatemur: putabimus autem, cum primum vaticinium istud inchoarit, statim ab eo ad corporalia reverti? Quare tam brevis sit Sp. S. in regno Messia, & prolixior in externo Judæ splendore describendo, adeo ut etiam deferere putandus sit illud, & ad hunc redire? Quo vel minimo indicio hæc a proximis determinat, & ad remotiora referenda esse ostendit? Quare admittamus interruptiones sententiarum & saltus Sp. S. sive *ὁ ἑγὼ ἢ ὁ ἄλλος* fingamus? Equidem fateor, non alienum esse a scripturæ stylo, ut in unico contextu aliquoties personæ mutantur. Imo perpetuus fere ejus mos est in typis, sermonem incidere, & paucis insertis ad priora redire, a typo ad antitypum & contra. Verum tunc ad minimum unicum ejus vestigium in textu reperitur: vel enim sancti DEI viri id circumstantiis ipsi innuunt, vel prædicata limitant sua subjecta. At neutrum hic fit. Non prius, cum nulla mutatio animadvertatur; non posterius, quia hæc verba Christo non repugnant, & ab ipsis diversæ sententiæ tutoribus eidem applicantur. Non me fugit, a nonnullis hoc loco etiam annotari ad *συνέπειαν* orationis de Messia eo evidentius monstrandam, quod in prioribus, quæ Judam attingunt, per *ἀπὸς ἐσφίν* secunda persona utatur vates: *Tu Jebuda, te laudabunt fratres tui; &c.* Sed cum ad Christi regnum deveniat, inflectere in tertia persona: *Non auferetur sceptrum; &c.* & in eadem persona connectere:.

Et ligans erit ad vitim; &c. itaque æquabilitatem sermonis ostendere immediatam connexionem, & absurdam fore, de Juda in tertia persona dici: *Ligans ad vineam pullum suum*; &c. cum potius dicendum fuisset: *Ligans ad vineam pullum tuum, & ad vitem, o fili mi, asinam tuam.* Sed nescio, an hoc per integrum de Juda contextum verum sit, & annon tantum pars intelligenda? (in omni autem syllogismo necessario est aliqua propositio universalis L. I. Pr. c. 7. §. I. & c. 24. §. 1.) unde *Pererii* exceptio valet, etiam de Juda 3. personam adhiberi: *Catulus leonis Juda se incurvavit, cubavit sicut leo & sicut leo, major, quis suscitabit eum?* Et certe huc etiamnum pertinent: *Non recedet scelerum a Jebuda, nec legislator a pedibus ejus.* Quibus sane quin connecti possit quæ sequuntur: *Et ligans erit; &c.* propter deformitatem sermonis nihil obstare videtur. Quamobrem satis validum est argumentum eo, quo supra modo productum est.

IV. Porro exspiraret tribus Judæ prerogativa, nec esset peculiaris & proprie huic tribui benedictio in futura fertilitate agri, viniq; affluentia, totius enim Palæstinæ, non saltem illius partis, quæ a posteris Judæ inhabitata est, robustissimæ & fertilissimæ vites passim decantatae sunt. Cogitetur etiam, quot ad excusationem brevissimæ sententiæ, unicæque istius de copia vini propositionis, tenendæ sint, quæ in eum impetu quasi effundantur *ὑπερβολαί, καταχρήσεις*, violentæq; detorsiones & depravationes sermonis. In ipsis nostris verbis fingenda est lotio vestium vino rubro. Imo maledictioni, ait Megalander noster *Lxth. Comm. in b. l. hoc similis, quam benedictioni videtur. Quid enim est ineptius, quam lavare vestes in rubro vino? Qua ratione magis pollues, quam elues.* Sine dubio istud incommodum vidit

vidit *Ravanellus*, alio, ut audivimus §. 2. declinans. Est tamen & ipsius proprio cerebro nata, nullo fundamento nixa explicatio. Quod vero ceteri Phrasin, hyperbolice dictam: *Lavabit vestem in vino*, palliare nituntur locis: Deut. XXXIII. 24. *Tingat in oleo pedes*; & Job. XXIX. 6. *Quando lavabam pedes meos butyro*, præter rem faciunt. Nam (1) illis locis sermo est de familiarissima Orientalibus pedum lotionem, indeque a notis & vulgaribus hyperbole petitur, ad designandam ingentem olei & butyri copiam, ut tingi & lavari pedes possint oleo & butyro; quomodo hæc ad vestium lotionem? (2) Oleum s. butyrum pedibus non nocet, magis prodest; at vinum rubrum damnum infert vestibus. Sensit Pareus difficultatem hæc ratione non tolli, unde, et si prius pro illa hyperbole disputasset, & locum Hiobi allegavisset, sibi nihilominus ad finem diffidit, aliam explanationem meditatur, & subjungit: *Si cui prior metaphora explicatio minus placet, quod vino vestes magis maculentur, quam eluantur, forte melius explicabit dictum Esa. LXIII. eritque locutio desumpta ab effectu s. circumstantia vindemiæ, quando vestes colligentium & calcantium racemos resperguntur, & quasi lavantur musto.* Bene autem dixit: forte, quia forte per forte tollitur. In verbis proxime T. nostrum præcedentibus, *ligare asinum ad vitem*, idem debet esse, ac ex una vite onerare asinum, ut sufficiens vini onus accipiat. Non video, quomodo hæc convenient. Verba proxime T. nostrum sequentia: *Rubicundus oculis ex vino*, vitio explicanda sunt, quod Spiritus S. Prov. XXIII. 29. 30. increpat: *Ubi ira? Ubi dolor? Ubi rixa? Ubi querela? Ubi sine causa vulnera? Ubi rubor oculorum? Nonne bis, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Mittimus igitur carnalem illam de tribus Juda felicitate sententiam*
& ad

& ad משיח s. Messiam v. proxime precedenti, tanquam ad proprium objectum, præsentia verba referimus, cum omnibus iis, quos posthac in h. l. allegabimus.

V. Sed quando & quomodo Christus lavit vestimentum suum in vino, & in sanguine uva pallium suum? Ambros. Lib. benedict. Patriarch. c. 5. dispescit has sententias, & in priore: *Lavit in vino stolam suam*, baptismo Salvatoris describit: Verba ejus hæc sunt: *Lavabit, inquit, (Jacob,) in vino stolam suam. Bona stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ universos induit veste jucunditatis. Lavit hanc stolam vino, quando, cum baptizaretur in Jordane, descendit Sp. S. sicut columba & mansit super eum.* Unde & Evangelista ait: *Quia plenus Spiritu S. Dominus Jesus stolam suam, non ut suam, quæ non erat, sed ut nostram, quæ erat, sordem ablueret. Quanquam autem baptismus Christi ab ejus merito non excludendus sit, est tamen alienior & remotior, quam ut directe h. l. exponat. Classica hujus oraculi expositio est de passione & sanguine Christi.*

VI. Hanc præmonstrat ἡνὸ πνεύματι & αἷμα φερόμενον & Canonicus interpres Johannes Apoc. XIX. 13. quando ἐπίτιον ἑσθαιμύρον ἀπυρῖν, s. vestem Christi, sanguine tinctam, & lotam ostendit, itaque eadem ferre verba habet, quæ in nostro oraculo Patriarcha protulit: *Messias lavabit vestem suam in vino & sanguine uvarum.* An Ela. LXIII. i. sequetiam locus parallelus sit, infra dispiciemus. Jam singulæ voces ita explicandæ sunt: *Vinum & Sanguis uvarum*, in nostro T. sive uno verbo, rubellum Palæstinæ vinum, sanguis Christi est. Conveniunt enim pretio, virtutibus & colore, uti singula membra latius deduci possent. *Lavare*

vare hic significat largissime imbuere & perfundere. Sicut in Pl. LVIII. ii. per lavare pedes suos in hostium sanguine, copia sanguinis effusi intelligenda est. *Vestis Christi* est ejus caro, quam humanæ naturæ assumptione induit, *Vestis & pallium*, s. interius & externius vestimentum distincte nuncupatur, ut cum emphasi totum Christi corpus, intima caro & cutis exprimat. Unaquæque ex his comparatio optime quadrat. Tota sententia sic pronunciat: *Christus lavabit in vino stolam suam, & in sanguine vararum pallium suum*, i. e. *Christus totum corpus in amarissima passione, cruore largiter profuente, perfundet.* Nunc testimonia hujus expositionis succedunt, quantacunque nobis, ex benevole communicatis, authenticis licuit colligere. Ita Targum Hierosol. *Quam pulcher est Rex Christus, qui surrecturus est de Domo Juda. Ligabit lumbos suos, & exibit in praelium adversus hostes suos. Occidentur Reges cum Principibus. Rubefaciat sudios sanguine, & dealbabit colles suos pingvedine fortium illorum. Vestimenta ejus imbuentur sanguine.* Ipse autem similis erit forma botrorum. Animadvertimus interim, hanc paraphrasin in hoc a nostra differre, quod non sanguinem Christi proprium, sed hostium, intelligit. *Patres plenissime sanguinem Christi deprædicant. Justinus Martyr, ad ἑλεγχον simul contra Judæos adhibens, in Dial. cum Tryphone Judæo sic fatur: Et quod Moses dixit, lavaturum eum esse stolam suam in sanguine urvæ, (id quod sæpe numero vaticinio recte præmonstratum esse, apud vos commemoravi,) nonne illud est, quod habiturum ipsum sanguinem esse ostenderit, sed non ex hominibus? Haud aliter, quam urvæ sanguinem, non homo generavit, sed DEVS. Terrull. Lib. 4. adv. Marc. c. 40. caput Efa. LXIII. cum præfenti vaticinio conjungens, ita scribit: Efa-*

B

ias,

ias, Quis, inquit, qui advenit ex Edom? Rubor vestimentorum ejus ex Bosor. Sic decorus in stola, violenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua? Et indumenta tua sicut de foro torcularis pleno conculcato? Spiritus enim propheticus, velut jam contemplabundus Dominum, ad passionem venientem, carne scil. vestitum, ut in ea passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcate & expressæ vi passionis, tanquam de foro torcularis, quia exinde quasi cruentati homines de vini rubore descendant. Multo manifestius Genesis: — Lavabit, inquit, in vino stolam suam, — stolam — carnem — demonstrans & vinum sanguinem. Ad eundem modum Orig. Comm. in Johan. Tom. 9. interprete Ambrosio Ferrario. Quum enim vestimenta Christi rubra ex Esa. LXIII. præmisisset, subjungit: Vere ob hæc indignus, ut lavaret in vino stolam suam & vestimentum suum in sanguine vve. Infirmities enim nostras cum sumpsisset, egrotudinesque portasset, totiusque mundi peccatum cum sustulisset, & in tot beneficia contulisset, fortassis tum baptismum accepit quo vis alio, qui apud homines excoGITARI potest, majorem, de quo reor cum dixisse: Baptismo habeo baptizari, & aliquo modo coarctor, donec perfectum fuerit. Norvavianus Lib. de Trinit. c. 16. post discursum, quod humana Christi natura ejus vestis sit: Hoc enim etiam in benedictionibus ante prædixit: Lavabit stolam suam in vino, & in sanguine vve amictum suum. Si stola in Christo caro est & amictus, ipsum corpus, requiratur, quisquis est ille, cuius corpus amictum est, & stola caro. Nobis enim manifestum, carnem stolam, & corpus amictum verbi fuisse, qui que sanguine, i. e. vino lavit substantiam corporis & materiam carnis abluens. Athanasius in dictis & interpret. parabolarum Evangelii quæst. 72. Quid est, quod dicit: Lavabit in vino

vino stolam suam, & in sanguine uve pallium suum? Resp.
Hoc de passione Christi dicit, & corpus quidem stolam vocat,
sanguinem vero vinum; quandoquidem etiam mysticum illud
vinum sanguinem vocavit Dominus. Cyrillus Alexand. Epi-
scopus in Gen. L, 7. Sed quod proprio sanguine sit suam ipsius
carnem tincturus, ligno affixus, ac lancea perforatus, o-
stendit his verbis: Lavabit in vino stolam suam & in sangui-
ne uve pallium suum. Chrysol. hom. 67. Lavabit in vino
stolam suam, & in sanguine uve amictum suum. Vide, quo-
modo nobis totum sacramentum insinuat. Sciunt, qui ini-
tiati sunt, quod dictum est: Lavabit in vino stolam suam.
Stolam puto corpus dici, quod propter dispensationem ferre
dignatus est. Deinde ut diligenter discas, vinum quid ap-
pellaverit, subdit: Et in sanguine uve amictum suum. Vide,
quomodo sanguinis nomine crucem nobis & occisionem signifi-
cet, & omnem sacramentorum dispensationem. Theodoret.
in Gen. quaest. 109. Deinceps quoque praedicat (Jacob) pas-
sionem: Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uve ami-
ctum suum. — Quod autem passionem sic appellaverit, testis
est Dominus, dicens: Pater, si possibile est, transeat a me ca-
lix iste, Matth. XXVI. Idem & filius Zebedaei dixit: Pote-
stis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. XX.
Casarius Arelat. Episc. hom. 7. in Biblioth. M. Patrum: Et
beatus Moses, de eo mysterio loquens, vinum & sanguinem
sub una appellatione significat in benedictionem Patriarchae,
Dominicam passionem multo ante demonstrans, ita inquit:
Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uve pallium su-
um. Adverte, quam evidenter constat, vini creaturam Chri-
sti sanguine nuncupatam. August. Lib. de essentia DEI,
& hanc de passione Christi expositionem tenet, & aliam,
quae nec a nobis, simul ut hanc priorem absolverimus, ne-
glige-

gligetur, de purificatione Ecclesiæ, quo imprimis verba
 de pallio accommodat, adjungit, quando ita scribit: *Ves-*
timentum Filii DEI aliquando caro ejus, quæ a divinitate as-
sumpta est, in divinis libris figuratiter accipitur. De quo
indumento carnis ejus Esa. Propheta vaticinans ait: Quis est
iste, qui venit de Eodem tinctis vestibus de Bosra Esa. LXIII.
Rursum vestimenta ejusdem Domini sancta accipit Ecclesia,
qua per fidem & dilectionem ei conjuncta sunt. De qua in
Psalmo (XCII) scriptum est: Dominus regnavit, decorem
indutus est. Et in alio Psalmo (CIII) ad ipsum Dominum:
Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vesti-
mento. Pallium DEI antedicta Ecclesia recte intelligitur,
de qua in lib. Genesis (c. XLIX) scriptum est: Lavabit in vino
stolam suam, b. e. in sanguine passionis carnem suam, & in sangui-
ne uxoris pallium suum, i. e. Ecclesiam. Idem cum Augustino faciunt
& alii, quos suo loco allegabimus. His primitivæ Ecclesiæ ve-
stigiis nostrates insistunt, & communissime, sive in Scholasti-
cis, sive Ecclesiasticis tractatibus, de passione Christi & sangui-
nis effusione præfens oraculum exponunt, sicut inspectio
librorum & communis docet experientia. Vid. imprimis
Chytraeus, Gerhardus, Rungius, Comm. in h. l. Wilhelmus
Lyserus in peculiari disputat. de שילוח יהודה.

VII. *Lavit exgo JESUS vestem & operimentum suum*
in sanguine ubarum, quando in horto Gethsemanes san-
guinem pro sudore emisit: de quo Evangelista Luc. XXII.
44. quod sudor ejus fuerit $\omega\sigma\epsilon\iota$ $\delta\epsilon\sigma\upsilon\mu\beta\omicron\iota$ $\acute{\alpha}\mu\epsilon\tau\omicron\varsigma$, sicut grumi
sanguinis decurrentes in terram. $\omega\sigma\epsilon\iota$ hic non nudam pa-
roemiam & similitudinem notat, sed simul rei est, veritatis
& certitudinis, ut non minus vere quam eleganter imita-
tione Lucani, ex L. 9. hunc Christi statum exprimere possis:

(Luca-

(Lucanus : lachrymæ :)

*Sanguis erat sudor, quæcunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor.*

Eandem significationem partic. *ω̄s* obtinet, Joh. I. 14. ubi dicitur : *Vidimus gloriam verbi, ω̄s μωνογεv̄ς ωαε̄γ̄ι ωατ̄ε̄γ̄ς, tanquam unigenti a Patre.* Nempe par illius ratio est, atque de suo ὁ Hebræorum Magistri loquuntur, dum veritatis, non diminutionis, esse ajunt. Et, sicut si dicam: Facit, ut vir bonus, non nego esse virum bonum, sed satis aperte affirmo. Utique non naturalis, nec ex defectu naturæ orrus, sed miraculo tribuendus est hic sanguineus Christi sudor. Consule de illo *Chemnit.* Loc. part. 1. de Christi humana natura class. 4. certam. *D. Gerhard.* in Harmon. de passione. *Stegman.* in Christognos. pag. 668. seqq. *D. Becker.* in disputat. de hoc sudore thes. 19. seqq. *Lavit JESUS stolam suam in sanguine uræ,* quando, a crudelibus servis & militibus toto corpore flagellis cæsus, post flagella violenta vestium detractiōne vulnera refrecta & ampliata sunt, ad hæc caput corona spinea compunctum, & arundine percussum est. Tunc enim vidisses sanguinem totis ostiis e capite, ex oculis, facie, pectore, manibus, pedibus, totoque corpore se effudentem. Tum similis fuit תרלע, Pl. XXII. 7. de seipso testatur, i. e. vermiculo, *es nen rothen Purpur-Wurm.* Esaias c. LIII. 5. Christum in his tormentis appellat תרלע & נרפ̄י quorum prius significat totum corpus ossibus tenuis perforare, alterum proprie significat contundere atterendo & contuadendo atterere, quemadmodū ea, quæ in mortario cōtunduntur, id quod Philosopho illi prisco accidisse legim⁹ apud *Poëtam Ovid.* in *Ibin.* Aut ut *Anaxarchus pila mundaris in alta.* Conf. *Laërt.* lib. 9. Adeoque non est, ut Bonaventura, hujusque au-

thoritatem secuti Papicolæ numerent millia quadringenta & sexaginta quinque vulnere Christi, sed melius dicitur, quod fuerint ἀνάριθμα. *Lavit JESUS stolam suam in sanguine uxæ*, quando, cum jam in cruce mortuus esset, latus ejus lancea apertum, & continuo aquam & sanguinem ejaculatum est. Denuo miraculum & supra naturam! Non enim cruor fuit aqua permixtus, ut nonnulli existimant, & ejusmodi cruentum liquorem etiam ex aliis recens mortuis corporibus κατὰ φύσιν manare posse putant, sed sanguis seorsim & aqua seorsim effluxit, sicut ipse Johannes c. XIX. 34. distinctè ἕμα καὶ ὕδωρ, *aquam & sanguinem*, non aqua & sanguine mixtum liquorem nominat. Unde Græcus Paraphrastes Nonnus Panopolitanus, initio sec. VI. Scriptor, hæc verba ita reddidit.

Πρώτα μὲν ἕμα χύθη, μετέπειτα ἡ θέρμελον ὕδωρ.

Primum equidem sanguis, divina hinc exiit unda.

Et si quis verba Johannis diligenter consideret, facile ille peculiare & extraordinarium quid hic contigisse agnoscit, quia I. κατ' ἐπιμονὴν tanta cum devotione & accuratione istam historiam tam prolixè describit. II. Seipsum religiosa attestatione ἀντόνην profiteretur. III. in fidem hujus rei adducit duo SS. oracula, quæ hoc facto completa. *Conf. Excell. D. Zeidl. conc. super illum locum Joh. & D. Eichstat. Colleg. Anatom. quæst. 36.* Ita impletum fuit vaticinium: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uxæ pallium suum.*

VIII. Non incommode hic quæritur: Utrum locus Esa. LXIII. i. seqq. parallelus sit, sicuti vulgo pro eo habetur & allegatur? Nam & ibi vestimentum Christi sanguine imbutum & rubens, instar calcantium torcular, depingitur. Unde plurimi, tam ex Patribus, quam recentioribus inter-

interpretibus Esaïæ vaticinium exponunt de Christo pã-
tiente, & sanguine vulnerato ejus corpore largiter proflu-
ente, quique de Spiritualibus hostibus suis ingentem vi-
ctoriam reportaverit in passione sua. Non autem justam
& plenam hic hujus loci *διάρρησιν* instituam, sed brevibus
colligo, quæ quaestionem non sine responsione dimittant.
Propheta jisto dialogo scopus non est passio Christi. Nam
(1) non dicitur in textu, quod vestimenta Christi ipsius,
sed potius, quod hostium sanguine conpersa sint. (2) Chri-
stus in textu dicit, se conculcasse populos, qua appellatione
non satis commode designatur Satanas & Spirituales
Christi hostes. (3) Cum Spiritus nec ossa, nec carnem
aut sanguinem habeat, quomodo sanguine Spirituum in-
fernalium respergi potuit Christus? (4) denique Christus
dicitur calcasse torcular. Hæc autem phrasis ex scriptu-
ræ analogia (notante *Flac.* in clave, voce torcular, & *Ra-
van.* in Biblioth. S. &c.) denotat ultionem & victoriosam
actionem, non vero passionem & oppressionem ejus, qui
id torcular calcare dicitur. Itaque & præsentis vaticinio
non significatur passio, sed potius hostilis & victoriosa.
Christi actio, præsertim cum addatur, quod in furore &
indignatione sua hostes suos pedibus calcaverit, tanquam
uvas in torculari. Vera itaque & naturales istius Christi
cum Ecclesia colloquii expositio est de præclara Christi
victoria, quam reportavit de externis Ecclesiæ hostibus,
tyrannis, persecutoribus & aliis, quos tanquam uvas in
torculari se calcasse dicit, ita ut eorum sanguine vestimen-
ta sua conpersa sint & contaminata. Ex ea ratione intro-
ducitur tanquam victor veniens de *Edom* & de *Bozra*, (quæ
fuit metropolis Edom,) quia Edomitæ fuerunt infensissimi
hostes populi Judaici, Pl. CXXXVII. 7. Eorum ergo no-
mine

mine commode designantur Ecclesiæ hostes, qui non minori odio Ecclesiam, quam Edomitæ, populum Judaicum, persequuntur. Conf. Esa. XXXIV. 6. ubi *Bozra & Edom* itidem conjunguntur. Hæc expositio ipsius *B. Dn. Luth.* qui enarrat. in *Jesa.* non de Christo, patiente locum hunc explicat, sed de Christo pœnas sumente. Fusc & plene de h. l. differentem lege *Job. Tarnov.* in exercit. Bibl. p. 418. seqq. ut & *Sixin. Amam.* in Antibarb. Bibl. L. 4. pag. 699. seqq.

IX. Sed quare vestem nominavit Patriarcha in suo de passione Christi vaticinio? An vestis appellatione, nudus homo passus, intelligendus? An dum prædixit: *Lavabit vestem sive carnem suam in sanguine*, idem est, ac si sanguis a nudo homine profectus dicatur? An metaphora a stola & veste desumpta, tantum verbalem idiomatum communicationem infert, veram & realem evertit? Hoc quidem intendit *Bellarmin.* L. 3. de Christo c. 15. *Apposita*, inquit, est similitudo, de purpura Regis desumpta. Cum enim Rex induit purpuram & sedet in solio, exebit purpuram ad solium, non sic, ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis, & etiam, ut dicatur purpuratus Rex sedere, aut regnare. Resp. Veram & realem idiomatum in Christo communicationem, & θεανθρώπου passionem & sanguinem satis adstruxere nostri Theologi. Quantum ad propositam ὑποφωσάν, Resp. (1) cum regula Thomæ: *Theologia Allegorica non est argumentativa*, (2) Caro & humanitas Christi vocatur *πρωτόκλη* DEitatis, sicut & *August.* epist. 56. column. 162. Christum vocat *verbum DEI*, homine indutum, & hinc Ecclesia canit: *Beatus author seculi, servile corpus induit*; non ad unionis declarationem, ut, sicuti vestis Regi, sic caro λόγῳ unita sit, hoc

hoc enim, iudice Divo *Luth.* falsum & plane hæreticum est, *Tom. I. Wittreb. f. 415.* quia inter vestem & Regem est unio mere accidentalis, nec quicquam vestis facit adesse suppositi ipsius Regis; Sed dantur hujus similitudinis a Theologis orthodoxis aliæ rationes, quare fiat? (1) ad denotandam propriam *Δόγης* personalitatem, ante carnem existentem. Uti vestes nihil conferunt ad ipsum esse personæ, sic Christus etiam ante carnis assumptionem vera fuit persona, quæ carnem in suam personalitatem assumpsit. (2) *Δόγης* invisibilitatem; (3) *Δόγης* immutabilitatem. Et ipse *Bellarmin.* sui immemor, rectius lib. cit. c. 7. scribit: *Humanitas vocatur indumentum verbi, non quia verbum non sic substantialiter homo, sed propter similitudinem, quæ est inter vestes & humanitatem. Uti per vestes homines cognoscuntur, sic per humanitatem Christus cognitus est: Quem admodum, dum vestes induimus, aptantur ad figuram corporis vestes, non ipse homo mutatur, sic humanitas mutata, non vero ipse Δόγης.*

X. Expedita prima nostri oraculi interpretatione, & dubiis, quæ circa eam occurrebant, solutis, aggredimur reliquas ab h. l. itidem non alienas expositiones. In his vestis Christi ipsius Ecclesia est, & per pallium quidem peculiariter gentes intelligi possunt. Etenim duplex Christi corpus est, naturale & mysticum; de naturali, quomodo illud sanguine proprio laverit, antea egimus, restat, ut & de mystico s. Spirituali illius corpore agamus, quod est Ecclesia, *Eph. I. ult.* Atque sic hoc vaticinio pulcherrime etiam totum nostræ coram DEO justificationis & purificationis negotium describitur, quod cum lotionis sæpe comparatur in sacris, sumpto locutionis genere ex *V. T. typis*, in quibus variæ lotionis divinitus erant instituta,

C

quæ

quæ ad unum omnes ad veram & Spiritualem nostrorum peccatorum lavationem respexerunt. Nominatur nostra peccata כִּי־וַיִּשְׁפָּר sanguinea, Psal. LI. 16. Esa. I. 15. (metonymice, quia peccata capitale, imo æternum supplicium cum æterno sanguinis nostri cruciatu merentur.) Hæc sanguinea peccata Christus sanguine suo abluit, sicut Petrus affirmat I. Ep. I. 2. *Sanguinem* Jesu Christi conducere *eis* *παντιω* *υων*, ad adspersionem. Et a Paulo *αιμα παντιωυς* appellatur Ebr. XII. 24. Hæc sanguine uvarum Christus peccata nostra coccinea ita lavit, ut instar nivis dealbescant, & similia purrissima lanae fiant. Esa. I. 18. Conf. Joh. I. 7. Apoc. I. 5. Eph. V. 26. 27. Hunc nostri oraculi sensum cum priore conjunxit *Augustinus*, uti §. VI. audivimus. Hanc duplicem proprii, mysticisq; corporis Christi lavationem h. I. simul & *Beda* considerat, in quæst. super Genes. *Lavabit in vino stolam suam, s. carnem suam in sanguine passionis, sive sanctam Ecclesiam in illo vino, qui* (Synthesis generis est, sanguis enim Christi innuitur,) *pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et in sanguine uve pallium suum. Pallium gentes sunt, quas corpus suo conjunxit. Nos quippe Christus in sanguine uve mundavit, quando sicut botrus in ligno crucis pependit. Tunc enim ex latere ejus sanguinis ex aqua profluxit, sed aqua nos abluit, sanguis redemit. Ex hoc sine dubio desumpsit Strabo Fuldensis, quæ habet in glossa, vulgo ordinaria dicta: Pallium suum. Gentes, quas sibi subjunxit. Nos enim Christus in sanguine uve mundavit, quando sicut botrus in ligno crucis pependit & ex latere ejus aqua in absolutionem & sanguis exiit in redemptionem. Item Glossa interlinearis Anselmi Laudunensis, quæ tantum habet: *Lavabit in vino stolam suam, carnem, vel Ecclesiam. Apud Ruffin. in lib. de benedict. Judæ sola hæc hujus oraculi**

culi de mystico corpore sive Ecclesia reperitur, idemque paulo aliter, atq; modo adductum, duplex vestimenti genus, cujus Jacob meminit, explicat. Nempe cum illud per stolam & amictum reddidit, stolam pro exteriori veste accipit, & de initiatis Christianis, sive utentibus baptismò; amictum pro secretiore, & corpori propiore veste, & de adultioribus in Christianismo, sive utentibus S. cœna interpretatur. Juvabit ipsum audire: *Stola Christi, qua lavatur in vino, merito ejus intelligitur Ecclesia, quam ipse sibi mundavit sanguine suo.* — In hujus ergo sanguinis vino, i. e. lavacro regenerationis, a Christo lavatur Ecclesia. *Consepelimur enim illi per baptismum, in morte & sanguine ipsius, i. e. in morte ipsius baptizamur. In sanguine autem uve, quomodo amictum suum lavet, videndum est.* Amictus propinquior quaedam vel secretior corpori vestis videtur esse, quam stola. Hi ergo, qui prius per lavacrum loti, stola ejus fuerant effecti, posteaquam ad Sacramentum sanguinis uve pervenerunt, veluti interioris mysterii, secretiorisque participes amictus ejus esse dicuntur. Lavatur enim etiam in uve sanguine anima, cum sacramenti hujus cepit capere rationem Agnita namque & intellecta virtute sanguinis Verbi DEI, quanto capacior effecta fuerit anima, tanto purior fiet, & lavatur quotidie ad scientie profectum, & jungens se Domino non solum amictus ejus, verum etiam unus jam cum ipso Spiritus fiet. Huc pertinet & Ambrosius, sed in hoc iterum differt, quod ad posteriorem tantum sententiam hujus vaticinii: *Et in sanguine uve pallium suum*; hanc de lavatione Ecclesie expositionem restringat. (De priori actum est §. V.) Verba ejus ita sonant: *Et in sanguine uve anaboladium suum, b. e. in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. Etenim verbi anaboladium gentes sunt.* — *Et bene uvam dixit quia sicut uva pependit in ligno.* Ipse est vitis, ipse uva vitis,


vis, ligno adhaerens: uva; quia lancea militis apertum latus
inter aquam & sanguinem. — Aqua ad lavacrum, sanguinis
ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis redemit, in lib. su-
pra allegato.

XI. Vinum inebriat & latificat. Quando igitur
mundata est Ecclesia, optime etiam praesens Jacobaeum:
Lavabit vestem suam in vino, & in sanguine uvæ pallium
suum, de profectibus Ecclesiae in Spiritu, de ebrietate
Spiritus Paulus Ephes. V. 18. *Nolite inebriari vino, in quo
est afortia, sed impleamini Spiritu S.* Et sic de Apostolis di-
citur, Act. II. 4. *Repleti Spiritu S. loquebantur magna-
lia DEI.* *Hanc expositionem egregie diducit & ornat* *wo. d. av*
avrd. av. d. d. av. Lutherus noster Comm. in h. l. quem vide.
Est etiam vinum sive calix dolorum & passionum, de quo
Salvator Apostolis & universis Christianis concionatur:
Matth. XX. 22. 23. Et sanguis martyrum rubro vino com-
mode confertur. Quid igitur obstat, quò minus hæc
Jacobi etiam ad statum persecutionis Ecclesiae accommo-
demus, nempe quod Christus Ecclesiam vino tribulatio-
nis immergat, & in sanguine, quem confessores ipsius
nominis fundunt, lavet? Sicut ipse priorum corpus
proprii Sanguinis effusione lavit. *Nam oportet, quos DE-
US prescivit, conformes fieri imagini Filii sui, Rom. VIII.*
29. Hæc est illa purgatio & desecatio filiorum Levi, de qua
Malach. III. 3. Vinum natura mordax est: ita vinum
crucis, in quo Christiani lavantur, veterem hominem
mordet, imo mortificat, ut novus exurgat. Vinum, licet
mordax, modice tamen sumptum, salubre est omnis-
que generis phlegmaticas superfluitates in humano cor-
pore absumit: Ita crux Christianis saluberrima est, lotio,
ut peccata carnis & abundantia pravarum cupiditatum
magis

magis magisque absumantur & corrumpantur. Denique illud: *Lavabit vestem, sive Ecclesiam suam; vere consumatur in Ecclesia triumphante.* In hæc enim vidit Johannes sanctos *sedentes, amictos stolis candidis,* Apoc. IV. 4. *Gaudemus & exultemus, & demus gloriam Domino DEO nostro omnipotenti, quia venerunt nuptie agni, & uxor ejus paravit se. Et datum est ei, ut amictiatur bysso puro & splendido; &c. sonat vox in cælo: Apoc. XIX. 7. 8. quæ in terra resonet.*

XII. Coronidis loco & id monemus, quod non patrocinentur hæc Jacobi Verba allegorica Reformatis, asserentibus, posse & testamentum, adeoque etiam institutionem Cœnæ Dominicæ, impropriis verbis constare, prout Piscator Observat, in cap. XLIX. Genes. scribit: *Qui dicunt, in testamento non esse improprie loquendum, illi Spiritum DEI in ordinem redigere volunt.* Nam (1) Verba Jacobi non sunt simpliciter testamentum, sed simul benedictio & vaticinium de rebus futuris, quale quid verbis metaphoricis proponi est usitatissimum, non item testamentum, quod, ut rem exhibet præsentem, ita verbis propriis eam edisserit. (2) Et verbis metaphoricis, præsertim, si non sint metaphora insolentes, sed a rebus vulgaribus desumptæ, res clare potest proponi. Quid vero hoc ad nostram controversiam, in qua nec de tropis, nec de particulis, nec de metaphoris, adversarii ipsi consentiunt? *Det DEus, ut unanimes fide passionem Christi, & beneficia, inde parta, apprehendamus, & celebremus!*

T A N T U M !



[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to its low contrast and orientation.]

120



D1 A 6633

ULB Halle 3
003 090 418




Sb.

D 17







DISSERTATIO THEOLOGICA,
Super Oraculo Jacobæo Genes. XLIX. II.
CVIVS VERBA:

Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum,

Germanice:

Er wird sein Kleid in Wein waschen, und seinen Mantel in Weinbeer-Blut.

QVAM
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,

ET

CONSENTIENTE VENER. FACULTATE,
SVB PRÆSIDIO

BERNHARDI von Sanden/
S. S. THEOL. D. ET P. P. NEC NON PAST.
ECCLES. PALÆOPOL. ET CONSIST. SAMB.
ASSESSOR.

PVBLICE DISCVTIENDAM PRÖPONET

CHRISTOPH. WILH. QVANDT,
Eccles. Steinbeck & Neuendorff Adj. Past.
A. M. DC. LXXX. Ad d. April, Horis consuetis,
IN AVDITORIO MAIORI,
EDITIO III.

JENÆ,

APVD IOHANNEM BERNHARDVM HELLERV. 1717.